DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA,

QUAM

PRÆSIDE DEO OPTIMO MAXIMO;

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS VOET, J.U.D.

Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academia Lugd. Bat. Profeſſoris Ordinarii digniſſimi,

NEC-NON

Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA honoribus & Privilegiis rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

JOSEPH. à FONSECA, Luſit. Hamburg.

Ad diem 31 Julii, hora locoque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXI.

4
1185. g. 16
4

Clariſſimis Reverendis admodum Viris,

D. JOSUA à FONSECA, Med. Doct. & in Inclyta Hamburgenſ. Reſpub. Practico feliſſ. Parenti meo amantiſſimo.

D. ABRAHAMO GOMES, Studiorum meorum fautori maximo, plurimum ab ineunte ætate (ob innumera humaniſſime in me beneficia collata) filiali amore colendo, honorando, dum ſpiritus hos regat artus.

NEC NON

D. ISHAKO OROBIO à CASTRO, Med. Doct. olim Medico Profeſſori & conſiliario Regio in Academia Toloſano Magiſtro meo colendiſſimo ſummoque honore venerando.

D. DAVID PINA, Med. Doct. In celeberrima Amſtelod. Pract. eximio, de me ſtudiiſque meis optime merito indieſque merenti ſummo honore afficiendo.

Hanc diſput. inauguralem

officioſciſſime

D. D. D.

JOSEPHUS à FONSECA,

Auctor & Reſpond.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

THESIS I.

Cogitanti quodnam meæ diſputationis inauguralis futuræ poſſet eſſe Thema, nulla inter omnes aptior, propter utilitatem occurrit, materia, quam ſi meas de Dyſenteria cogitationes omnium oculis examinandas ſubjiciam. Eſt enim Dyſenteria vox Græca, quam Celſus tormina, & vulgo inteſtinorum difficultatem, nominant; Tormina vero nominantur quoniam ex ulcere inteſtina dolore torquentur maximo.

II.

Et quidem generale hoc nomen eſt, nihilque aliud per ſe quam inteſtinorum difficultatem ſignificat, & hoc modo pluribus affectibus in quibus inteſtina torquentur, & affliguntur, tribui poſſet, ſed nos vocabulum dyſenteriæ proprie, & in ſpecie, tantum accipimus, pro inteſtinorum exulceratione cum dolore, & dejectione Alvi frequenti, ac cruenta.

III.

In Dyſenteria ergo adeſt ſoluta unitas, ſeu ulcus plerumque & intemperies, ac mala conſtitutio inteſtinorum, & quidem cum affluxu materiæ.

Pars affecta ſunt inteſtina nunc craſſa nunc tenuia nunc utraque, an tamen omnia ſimul exulcerari poſſint, in dubium vocatur: quomodo vero conjiciendum, an craſſa, an tenuia ſint affecta, poſtea de ſignis th. xxv. dicemus.

V.

Symptomata quæ hic præcipue urgent, ſunt: inteſtinorum læſæ functiones, alimenti ſcilicet, concoctio, & chyli, ac fæcum debita elaboratio, nec non, Alimenti, cui inſerviunt ſuo modo inteſtina, prava diſtributio, ut & frequens dejectio, & quidem ſanguis ſimul, tandemque Dolor; Plura enim omittimus quæ ſuo loco theſ. xviii. ſunt perpendenda.

VI.

Quia ergo morbus eſt in ſoluta unitate, ſcilicet, in exulceratione, cauſæ, & generationis modus, & quæ in illo accidunt conſideranda ſunt.

VII.

Exulcerantur enim inteſtina, vel à cauſis manifeſtis, ut uſu acrium ciborum, medicamenti acuti (ut apud Platerum in ſuis obſervationibus habetur ſtolidiſſimi Doctoris hiſtoria qui intempeſtive reiteratam colocynthidis purgationem adhibuit, & ægrotus in ſævam lapſus eſt Dyſenteriam) vel à cauſis internis ut fluxu purulento, ichoroſo, humoribus bilioſis, ſua qualitate peccantibus, ſalinis, mordacibus & fermentatione propria exaltatis, ac inteſtinis occulto modo infeſtis, fæcē indurata, quæ ſi in illorum anfractibus immorantur, acriora redduntur, & per moram abradunt, & exulcerant.

VIII.

His verbis omnibus erit notum, nos, nec Ludovici Mercati

ſen-

ſententiam, nec Dani. Sennerti opinionem admittere. Primus enim ſtatuit ſolam acrimoniam, & mordacitatem humorum per ſe ad Dyſenteriam gignendam non ſufficere, ſed inſuper requiri, viſciditatem, & lentorem, ob quem inteſtinis adhæreant, eaque continuo rodant; Contrà verò Sennertus in ea eſt ſententia, humores qui Dyſenteriam excitant, peculiarem & occultam qualitatem habere, quâ peculiariter inteſtinis infeſti ſunt, eaque exulcerant; Nos vero quia ad occultas qualitates confugere potius eſt ignorantiam noſtram proponere, quam ſententiam, eas hic negamus niſi vero in epidemia contagioſa, & peſtillenti ſimilibuſque; nec ſemper Mercati ſententia vera eſt, nam abſque viſciditate humores inteſtina exulcerare poſſunt.

I X.

Fluxus hujus præternaturalis, cauſa proxima eſt, inteſtinorum irritatio, facultatiſque in iis excretricis ſtimulatio, ut continuò quod moleſtum excernere nitatur.

X,

Fluit enim humor bilioſus à quo plerumque fluxus Dyſentericus incipit, vel quia gignitur in ventriculo, & inteſtinis; nunc ex veſica fellis, aut venis Meſaraicis, nunc à toto corpore, quod in febribus ſæpe fieri ſolet, ad inteſtina effunditur, aut venarum Meſaraicarum orificiis eroſis inflammationem excitat, indeque fluxum ſanguinolentum Dyſentericum producit.

I X.

Cauſæ mediatè remotiores, ſunt, vel naturales, vel non natules, vel præternaturales.

X I I.

Naturales ſint temperamentum calidum, & humidum, ut & calidum, & ſiccum, ætas juvenilis ob humorum acriorum abundantiam ad hunc fluxum imprimis prona.

XIII.

Non naturales ſunt aër nimis calidus & humidus diutius durans, hinc in multis Indiæ Orientalis locis ob talem aëris ſtatum Dyſenteriæ ſæpius graſſantur multoſque è medio tollunt; aër frigidus, & humidus autumno ſpirans, humores ſalſos, acres, & bilioſos æſtate collectos ad inteſtina præcipitat, & hanc dat inteſtinis cladem. Si Auſtralis hyems, pluvioſa, & tepens fuerit, ver verò ſiccum, & aquilonium Dyſenteriæ, & ophthalmiæ oriuntur 3. Aphor. 11.

XIV.

Contagium hic magnas poſſidet vires cùm non ſolùm inficiat ſi quis ſedeat ubi Dyſenteriâ correptus ſederit, ſed & ſola converſatione cum hoc malo affectis propagetur, teſtibus Foreſto, & Schenckio.

XV.

Cibi nimis dulces, ſaccharati, melliti, & aromatiſati, crebriùs aſſumpti, bilioſos humores in venoſo genere cumulant, & præſagia fluxus cruenti dare queunt, fructus autumnales ſi non ſatis maturi comedantur, non quia facile corrumpuntur, ſed etiam quia eos qui quòd facile corrumpuntur ſtatim excerni debebant, in corpore adſtrictione ſua retinent. Pertinet huc acriorum pharmacorum potus ut theſ. VII. notavimus, ex adamante devorato Dyſenteriam notavit Zacutus lib. 1. prax. adm. obſervat. 18. & ex annulo aureo aſperiore deglutito, Gal.

XVI.

Præter naturales ſunt intemperies calida cordis, & hepatis obſtructioneſque; ſic febres malignas ac peſtilentes hujus mali auctores eſſe hiſtoriæ confirmant.

XVII.

XVII.

Differentiæ petuntur, vel à gradibus, vel à parte affecta, vel à ſtatu temporis.

XVIII.

A gradibus ſecundum diverſitatem partium quæ abraduntur. 1. Quando non ſolùm recrementa pituitoſa; ſed corpora quædam pinguia excernuntur exiguo cruore perfuſa. 2. Quando ſuperficies interna inteſtinorum quæ membranoſorum ramentorum ſpeciem præ ſe fert, cum excrementis excernitur. 3. Quando excernuntur carunculæ quædam albæ, & inteſtinorum ſubſtantiam depaſcuntur quæ diſpoſitio lethalis eſt, ut Hip. 4. aphor. 26. nam ulcera ſunt profunda, inteſtinorum ſubſtantia abraſa, ita ut nullam cicatricem inducere poſſibile ſit, quoniam auxilia perfecte applicari nequeunt, & locus ab excrementis exacerbatur, ideo lethalis. Hæc enim ſententia vulgata, & communis, ſed quantum in hoc erravit antiquitas experientia docet, nam probatio pinguedinis, ac ramentorum in excretis ſatis firma non eſt, de qua re conſultum lectori damus Sennert. neque ramenta ab interna tunica abradi, & excerni vix poſſe defendimus, tandem, an perforato inteſtino homo vivere poteſt revera abſolute lethalis non eſt; cum ſtercus aliquando per abdomen excernatur.

XIX.

Si quid ergo tale excernatur, mucoſum excrementum eſt, quod in inteſtinis hanc formam accipit.

XX.

Quid vero mucoſum illud ſit: humores eſſe vitioſos in inteſtina confluentes qui chylum obvium ſecum abripiunt alia forma inductos; ſtatuimus.

XXI.

A parte affecta quod inteſtina, nunc craſſa, nunc tenuia nunc utraque afficiantur.

XXII.

A Tempore; nam alia epidemica, alia ſporadica, quæ epidemia eſt Maligna etiam eſt, ita ut & febrem conjunctam habeat.

XXIII.

De ſignis non multum dicendum, cùm ex antecedentibus notum ſit: quæ excernuntur ſunt toto fere genere à naturali excrementorum alvi conſtitutione & modo; aliena, bilioſa, ac varia, muċoſa, ac cruenta ſimul; Plerumque Dyſenteriæ Febris jungitur, quandoque Lipothimia ut & interdum convulſio. Plerumque proſtratus appetitus, frequentiſſime Teneſmus, non rarò procidentia inteſtini recti.

XXIV.

Dignoſcitur Dyſenteria ab aliis fluxibus cruentis quod in his ſolus ſanguis excernitur, in Dyſenteria major vitioſorum ſuccorum copia, & longe minor ſanguinis, ſi copioſe autem excernatur tamen hoc non fit ſine aliis humoribus, & cum torminibus, & per brevia intervalla, cum frequenti, ac ſæpe redeunte conatu ejiciendi, cum ventris torminibus, ac torſionibus.

XXV.

An craſſa, an tenuia ſint affecta conjicere licet 1. ex loco doloris, nam ſi ſupra umbilicum ſit, gracilia, ſi infra, craſſa eſſe læſa affirmabimus, ſed quia colon ſtatim etiam ſub umbilico ducatur, eoque illic affecto dolor quoque ſupra umbilicum percipiatur, non ſolum ad hoc reſpiciendum, ſed tantum ex modo doloris: inteſtina enim ſunt magis membranoſa & ſenſu exquiſitiore prædita. 2. ex tarditate, aut celeritate dejectionum poſt dolorem, ſi enim

celer

celer ſit, ex craſſis, ſi tarda, ex tenuibus fieri exiſtimandum. 3. ex mixtione ſanguinis cum ſtercore, cum enim via illa ab inteſtinis ſuperioribus ad anum longior ſit, ſanguis, & purulenta materia antequam per alvum excernatur diutius in eo commorantur, atque ita facilius & exactius, ſtercoribus permiſcentur, è contra vero ex craſſis. 4. ab excretis, nam ſi cum excrementis, ramenta craſſa & copioſa exeant, craſſa ſunt exulcerata, ſi vero pauca, & tenuia gracilia patiuntur, nec hic contra noſtram ſententiam eſt th. XVIII.

XXVI.

Prognoſticum quod attinet, pernicioſa hæc affectio eſt, & fere exitialis, ſed tamen ſuos habet gradus: periculoſior eſt Dyſenteria, & difficilius curatur in qua inteſtina ſuperiora afficiuntur, peſſima ſi ab atra bile incipiat ut 4. apho. 24. quæ à pituita ſalſa provenit crudeliſſima eſt, magis exulcerat. effuſio puri ſanguinis mala, majores enim venas eroſas indicat, ſi peſtilentis & contagioſa periculoſa ea eſt, & plurimi ea intereunt, ſi febris acceſſerit quæ antea non aderat aut ſi quæ exigua aderat intendatur; res deſperata eſt: inflammationem aliquam acceſſiſſe ſignificat. Lienoſis vero ſuperveniens bona eſt 6. aph. 48. humores vero qui lieni erant infarcti melancholici tranſponuntur, & evacuantur. A mania Dyſenteria bonum 7. aph. 5. eadem ratione translationis materia à capite ad inferiora corporis.

XXVII.

Indicationes ſecundum morbum ad cauſam, ad ſymptomata conſiderantur. 1. ſolutam continuitatem uniendam eſſe indicatur, ſed quia cauſa præſens eſt, illico removenda, humor rodens, & abradens evacuandus, & quia ad inteſtina confluit revellendus ſymptomata vero ſedanda, ut dolor ſi vehemens eſt leniendus, de quibus ordine dicendum.

XXVIII.

Ut ergo humor qui inteſtinis adhæret eaque erodit, & exulcerat

cerat abſtergatur, & qui aliunde noxius quam affluit, evacuetur; purgatione opus eſt, de qua tamen diſſentiunt medici. Chriſtoph. à Vega de Art. Med. th. 2. his verbis audacter prohibet Medicamentum, *qui Medicamenta expurgantia adhibent omnino ignorare videntur methodum curativam dyſentericis convenientem. Longiſſime à tentata parte fluxionem avellere, non ad ipſam trahere oportet*, ait Gal. Valeſius ille coryphæus Medicinæ hanc protulit ſententiam *Purgare nil aliud eſt quam majorem humorum colluviem ad locum antea affectum attrahere, & periculum augere*. Alex. Maſſ. prolixe etiam contra uſum purgantium diſputat: ſed bone Deus quantis præjudiciis fuit antiquitas imbuta! an non melius paucioribus vicibus, medicamento humorem evacuare, quam permittere ut pluribus vicibus & guttatim (ut ait D. Sennert.) à natura expellatur, & diuturniore tranſitu, ac mora in inteſtinis ea lædat, & majus damnum afferat? Quamvis per locum affectum aliquid damni inteſtinis, tranſitu humorum vitioſorum per ea inferri videatur; tamen damnum illud exiguum eſt; commodum vero, evacuatio ſcilicet, humoris vitioſi longe majus, cum impoſſibile ſit curare dyſenteriam manente cauſſa: humorum enim ad partem affectam tractio noxia eſt, ſed eſt quando ſubſiſtunt ibi, hic vero non ſic accidit, ergo primo purgatio inſtituenda.

XXIX.

Qualiſcumq; fuerit vitioſus ſuccus qui ad inteſtina cum ſanguine confluit ipſa exulcerans, ſive à toto, ſive ab aliqua confluat parte, modo critica non fiat expulſio, viribus conſentientibus, vel aliqua ſolemni evacuatione ſuppreſſa, conſentiente ætate, venam ſecare oportet; ſunt enim nonnulli qui venæſectionem, nec neceſſariam eſſe, nec locum habere exiſtimant, cum bilis potius quæ purgationem non venæſectionem requirit, vires potius aſſidua dejectione, & vigiliis ac febribus ſæpe debilitatas dejicere videatur; ſed in Dyſenteria profuiſſe experientia teſtatur, nos (*ait Foreſtus lib. xxii. de profl. alv. obſ. xxxiv.*) *aliquando in principio adhibentes venæſectionem aliquos curavimus*; in hoc enim eos errare videtur, quod non bene diſtinguant inter remedium curativum, & præſervativum, non celebratur ſanguinis miſſio ad curationem ulceris, ſed, ad præcavendam inflammationem, & fluxionem ſedandam. Cum ergò multis

de

de cauſis neceſſaria ſit venæſectio, ubi ea opus, non omittenda, mature tamen dum vires adhuc conſtant.

XXX.

Si æger facile vomat, neque ventrem valde imbecillum habeat, neque extreme faſtidiat cibum, levia vomitoria (primo intuitu, utilia fore apparet, cum per ea non ſolum humorum evacuatio fiat, verum etiam & diverſio; Sed quia per loca magis convenientia, vitioſorum humorum evacuationem inſtituere debemus, non facile ſuaſerim ut vomitoria propinentur.

XXXI.

Sudorifera quoque non inutilia ſunt unà cum narcoticis, compertum enim eſt ſudore copioſiore materia evacuata, & malignitate per ſudorifera & Bezoardica expugnata, Dyſenteriam ceſſare. Narcotica v. quando dolor valde urget, atque animi deliquium, & virium diſſolutio imminere videatur, uſurpanda, & hoc modo juvare poſſumus.

℞ aquæ Plantagin.
Card. benedict. ana ℥iiij.
Diaſcord. Fracaſtor. ʒß.
Corn. cerv. uſt. & pulv. ʒj.
Bezoard. Oriental. ℈jß.
conf. Hyacinth. ʒj.
ſyrup. Papav. alb.
Roſar. rubr. ana ℥ß.
Miſce pro tribus doſib.

XXXII.

Etſi enim ſomnus ab iis concilietur, fluxus ſiſtatur; ubi virtus eſt debilis quod ex pulſu & infrigidatione & aliis cognoſcitur, nullo modo narcoticis eſt utendum.

XXXIII. Cly-

XXXIII.

Clyſteres hic magno in uſu ſunt præſertim ſi ulcus in majoribus adſit, tunc ad leniendum dolorem, ad compeſcendam acrimoniam humorum, ad fluxionem ſedandam & ad mucoſitatem abſtergendam, ne adhæreſcens diutius tunicis inteſtinorum, illas exulceret, tales vero clyſteres ſæpius injicere utile eſt, ſoliſque interdum clyſteribus morbus hic curatur, ſi per vices, nunc hi, nunc illi injiciantur.

XXXIV.

Lac, aquam, & vinum chalybeatum non planè hîc rejiciendum eſſe putamus quia non ſolum adſtringendi, & fluxus alvi ſiſtendi vim, ſed & aperiendi, alvumque movendi habet.

XXXV.

Diæta in hoc affectu medicamentis omnino conformis eſſe debet, ne enim diſputatio in longum excreſcat, ejus materiam hic proponere animus non eſt, cum nemini ignotam putem.

XXXVI.

Plura remedia unicuique indicationi ſatisfacientia ex practicorum ſcriptis, quæ illis ſcatent, cùm facili labore repeti poſſint, hic non addemus, & cautæ medicorum circumſpectioni illa committemus.

FINIS.